



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. De Beglierbego.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

cauit, & Christianos cum Imperatore Sigismundo deuicit. Eius filius Amurates Thraciam excursionibus bis depopulatus est, Venetis Theſſalonicam eripuit; in Legato deuictus à Christianis, mox eos grandi clade ad Varnam attriuit, & ſibi Bulgariam, & Albaniam ferè totas aſſeruit, vnà cum Moreæ parte maximâ. Sed Scanderbegus Epirota Albaniam recepit, & fortiter tutatus eſt; Veneti eius filio Mahumeto I I. Moream eripuerunt, & magnis ſumptibus, & labore Hexamilum munierunt, ſed inde flagitioſè deiecti ſunt, Mahumetus maioribus animis Eubœam, Lemnum, Leucadem occupauit, Boſſenam item, at demum Conſtantinopolim ipſam: in Tauricâ Chersoneso Caſſam Genuenſibus eripuit. Baiagethes II. Moldauix, ſeu Multauix partem obtinuit, Dyrrachium Carlouiciis eripuit, Naupaſtum Chriſtianis ademit, cum Methone, & Corone *Modon*, & *Coron*. Selimus Baiagethi ſecundi filius res ſuas potiùs in Aſiâ quàm in Europâ promouit. Eius filius Solymanus, Belgradam cepit, magnam Hungariæ & Slauix partem inuaſit; in Multauix ditionem ſuam promouit, ſed à Viennâ repulſus eſt; Rhodum ad ditionem compulſit, à Melitâ in ſuis Legatis repulſus eſt. Illius filius Selimus ſecundus Cyprum ſceptro ſuo adiecit per Legatos ſuos; expelli tamen potuiſſet ex Europâ ſi Chriſtiani victores ad Echinadas, vel Naupaſtum vti victoriâ ſuâ nouiſſent. Sub Amurathe III. & Mahumete item tertio, & Acmete, in Hungariâ ancipiti Marte plerumque decertatum eſt; ex quo Turcæ res ſuas parum, aut nihil promouerunt in Europam bellis Perſicis diſtenti, aut otio torpeſcentes. Tamen hac ætate noſtrâ reſumunt animos, Cretam magnâ ex parte ceperunt, & vniuerſis Inſulis potentur niſi Chriſtiani compoſitis litibus arma ſua in hoſtem communem conuertant.

§. 2. *De aliquot Imperij Turcici Magistraribus.*

N V M. 1. *De Beglierbego, Begleerby.*

NOMEN hoc erat in vſu antequam Monarchia Turcica coaleſceret, ſiquidem eius meminit Cedrenus, & hanc explicat ἀρχοντες ἀρχόντων *Domini Dominorum*, quia non tantùm gregariis militibus, ſed etiam præfectis imperabant. Prætor Græciæ ſæpe citatus à Leunclauio, ait Beglierbegum reſpondere Stratopedar-

cho, quem Germani *Generalem Campi*, nos dicimus *Mareschal de Camp*. Habent autem Beglierbegi vexilla sua sub quibus cogunt Saniacos suos; & posterius instituti habent breues admodum ditiones suas, vt eas diligentia & fortitudine sua extendere queant, quod si fecerint ad maiores dignitates cum multis laudibus promouentur.

NVM. 2. *De Saniaco.*

SANIACVS, vulgò *Sangiâc*, voce dissyllaba, vt vult Leunclavius, aliter *Sanzac*, nomen habet à vexillo militari Turcico, quod Græci Flambarum, vel Flambulum appellant. Est autem globus æreus deauratus in summo hastili defixus, circumplexis, & dependentibus vndique caudis equinis. Super hunc globum sæpe lunæ cornua imponuntur. Præfectis autem prouinciarum, seu Prætoribus eiusmodi vexilla præferuntur cum magno strepitu tympanorum in expeditionibus, ideoque dicti Sangiacbegi, à Græcis Flambutes: *hac ex Leunclauio.*

NVM. 3. *De Præfecto Insularum.*

PRÆFECTVS Insularum dicitur *Beglierbeg Denizi*, aliter *le Capitan Bassa*, magistratus à magno Solymano inuectus est, cum antea hoc munere fungeretur Saniacus Callipolitanus *le Sangiâc de Gallipoli*. Ille autem Ægæo mari, & Ionio præest, vno nomine Ottomanis, *les Mers Blanches*: respondet huic Magistratui qui apud Græcos dicebatur *πρωτοβέτης τῆς δωδεκανήσου*, cuius meminit Cedrenus. Præest autem hic Prætor Lemno, Eubœæ, Naxo, Paro, Melo, Zacyntho, Leucadi, Cephaloniæ, Lesbo, Chio, Samo, & Rhodo, Insulis 12. ad quas minores reuocantur; Cyprus & Creta, quia magnarum regionum instar, suos Prætores habebant. Nunc autem huic Præfecto parent non tantum Insulæ, sed & vrbes aliquot maritimæ, ad res nauticas peropportunæ, scilicet Callipolis, *Gallipoli*, Nicomedia, *Comidie* Nauplia, *Napli de Romanie*, Caualla Macedonia, *Naupactus* *Lepante*, & Alexandria Ægypti.

CAP.